



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesu Fundatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XXV. Epistola S. Ignatij de Obedientia ab vno de Societate impugnatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

tis imperio ac iudicio oportebit: in quo tamen si minus acquiesco, quicquid mea me cogit opinio sentire, seponendum est in duorum aut trium consilium, & eorum sententiæ inhærendum: si ne id quidem mihi satisfacit, absim planè ab ea virtute longissimè, quam religiosi status præstantia exigit.

7. Denique meus esse non debeo, sed eius à quo sum conditus, & eius cui me regendum credidit, & cuius perinde arbitrio agendum me permittere debeo, vt si totus ex cera forem, quicquid me fieri voluerit: dare aut accipere literas; hunc, illumve alloqui, aut abstinere ab eius colloquio, & eius generis alia:reponenda mihi est pietatis meæ, & prompti animi summa in capeffendo quicquid mihi iniungitur.

8. Habere me pro cadauere debeo cui nec velle est, nec intelligere; pro crucifixi breui simulachro, quod sinit quaqua versum pro libito se agi; pro senis baculo, quem vbicumque commodum adhibet & reponit; ita me opus est religioni ad nutum seruire, vbicumque sibi commodare me posse censuerit.

9. Nec loca debeo, nec munerum occupationes, meo delectu ab superioribus petere. Possum quidem mentem, ac desiderium iis exponere, dumtaxat omnia velut eorum pedibus aduoluens, consultissimum habiturus, factuque optimum, quicquid à me præstandum iudicant.

10. Leuiora tamen petere nihil vetet, quale sit, obire sacras stationes; aliquid à Deo peculiari gratiæ flagitare; aut quidpiam simile, sed parata semper ad impetrationem aut repulsam, eadem animi æquitate.

11. Ad paupertatem quod attinet, non minus debeo ex nutu regentium pendere, hoc est re omni carendo propria, & concessis vtendo vt statua quæ spoliante se, qualibet ex causa, nihil obstat, aut queritur.

XXV.  
Epistola S.  
Ignatii de  
Obedientia  
ab vno de So-  
cietate im-  
pugnatur.

Et si vero hæc vndecim de Obedientia effata sub vitæ finem dictarit Ignatius, haud tamen suos eo vsque sensus distulerat, fusiore scripto explicare, sed hoc ad communem tunc egit Societatis vniuersam, quod ad Collegiorum quorundam eruditionem, ante annos aliquot egerat. Exarserat enim præter modum non paucorum ex nostris in Hispania, & Lusitania pietas, licere sibi crediderant in rebus animi suo ductu regi; hinc eorum nonnulli voluntariis penis, animosi magis quam prudentes, valetudinem perdere; alij contemplationis illecti dulcedine, solitudines adamare, vtrique quo tenderent, quo vocati essent obliuisci. Vtrisque vt metas Ignatius figeret, paræneticas ad illos dedit, quibus manifestum iis fecit, quo se rectè ire certiùs crederent, hoc ab ea errare longius, quamdiu omiſsa obedientia pergebant iure suo fingi, & singulari suo arbitratu regi: repetita enim (quod Deo præcipuum, & optimum vouerant) libertate, præ illa nihili apud eum fore, quicquid postea obtulissent. Verum iis de hoc argumento, quæcumque aut sanctus Ignatius, aut quiuis forsitan alij scripsere, proluxa eminent, mirabilisque Epistola, quam ad nostros in Lusitania anno 1553. datam, Societas, & legit semper, & suspicit.

Hæc



Hæc eius virtutis gradus omnes, digestos; totamque tum docet, tum complanat illius absolutionem. Quare Societati Præpositus, & de more, communibus literis salutaturus nostros, & admoniturus, Franciscus Borgia, ubi de obedientia monere incidit, nihil quod S. Ignatio adderet inuenit. *Quod ad obedientiam, virtutem attinet, inquit, (ad quam Societas omnia referi tanquam ad scopum, & vexillum, quæque est eius turris præcipua) etsi nonnulla fortasse dicenda erant, tamen quia B. P. N. Epistolam de ea scripsit, non vtilem modo, sed omni dignam admiratione; quippe cui nec quicquam addi possit nec detrahi, ad eam vos remitto cum hac vna voce Euangelij, hoc fac & viues; hoc enim in Domino nobis polliceri possumus fore, ut si qua in illa continentur præstiterimus, perfectæ Obedientiæ filij nominemur, & simus.* Hac porro Epistola, Sacræ paginæ, ac Patrum testimoniis luculentis, & vi rationum ineluctabili, Obedientiam digerit in tres gradus, alium alio excellentiorem, executioni tribuit infimum; medium voluntati, non operi modo quod iussum est, sed iubentis quoque arbitrio se subdenti; tertium, ac supremum iudicio, eadem cum superiore pariter approbanti. Ad hunc apicem tam præstantem, & celsum non euadit, nisi qui iubentem non hominem cogitat, incautum prudentem; sanctum, vitiosum; sed ipsum cuius loco is iubet Christum Iesum. Nec alia fuit Obedientia quam cœnobiarchæ, religiosæ magistri disciplinæ, pugnanti in speciem, ornarunt nomenclatione, dum sapientum stultitiam, ignorantiam doctorum, consultorum imprudentiam, securum periculum, perspicaciam cæcam inscripserunt. Est enim hæc oculatissima cæcitas, in iis quæ iubentur nihil videre, sed vnum in ore iubentis Deum imperantem, acutissimo visu cernere, solumque attendere, qua sanè haud dubia persuasione, vsuque cæcitatæ perspicacissimæ, quam multi vel quondam inter veteres Monachos, vel nunc in Societate sublimi fastigium magnarum virtutum attigerint, quis dicat? Sed hi cum suis quique temporibus ipso eius ab ortu claruissent, essentque notissimi, prodigio par est Iulianum quendam Vincentium, Andegauensem patriam, & ipsum de Societate, vsque adeo insanisse, ut sexcentas in eam Obedientiam comminisceretur stolidissimas accusationes, quas cum ad suprema tribunalia deferret, præfatus est sibi curiosius indaganti, fontem denique patuisse, laxitatis in vita, erroris in fide, quibus infestaretur Societas; esse vero hunc Epistolam quandam cui de Obedientia nomen fecissemus, portentosis refertam dogmatis, ex quibus magna religionis veræ detrimenta necessariò sequerentur. Quod pro suæ amentia genio tractatum prolixius cognitoribus obtulit, acciditque supra omnem fidem, ut cum aduersus hanc Societatis Obedientiam, non alia vomeret, quam quæ hæretici sapius aduersus illam edidissent; hi quidem velut animales, & sensu carentes diuinorum, damnarentur, & proscriberentur; Vincentio velut mysteria de cælo adportanti, aures tam credulæ darentur, ut examini subderetur quod orbe toto in confesso erat, ex quo nosse perfectam Obedientiam cœperat, ut Apologia triplici validè defendit Robertus Bellar-



minus postea Cardinalis; adeò verum est religiosos ordines ficta domesticorum probitate crudelius impeti, quam professis externorum insectantium odiis. Sed hanc, utpote suam, foro suo causam referuarat Deus, processuque planè insperato, quod loco narrabitur, in actum vltimum eduxit, infamem scilicet Romæ Vincentij carcerem, quem proiectâ quodcumque sibi non saperet accusandi, calumniandique libidine quæstificat.

XXVI. Ceterum exigenda S. Ignatius Obedientia, haud erat alius quam in præscribenda. Lex illi fuit fixa atque immobilis cervicofos non ferre, quibuscumque ij dotibus, aut nominibus pollerent, & eiusmodi non raro turmatim dimisit, paratus, vel Collegia integra penitus exhaurire, atque omittere, quàm in iis talium quempiam tolerare. Quare Gaudiam ad nostros scholares, nonnihil in hanc partem visos deflectere, ardentibus dedit longasque literas, de obsequentia qua veller iis ipsos subiici per quos à Deo regerentur, omniâque hac clausula sanxit. [ Cui desit animus ad eam quam scribo parendi regulam expeditus, siue illorum qui istic sunt, seu qui sunt ad eos accessuri; ne dempto quidem eorum Rectore; de alia sanè ineunda via, vitâque cogitet, neminem enim capit Societas, quin possit ac velit ad eam formari Obediendi normam quam his literis descripsi ] fingendis vero vsu ipso ad illam nostris, iniungebat interdum otiosa; intempestiva; pugnancia; ut concionari, & procuratorem domus eodem tempore agere; philosophiam simul cum grammatica profiteri; coquum ipsum ad Theologiam docendam morigerum habere animum, ad mutandam culina scholam Theologum; accerserebat quandoque Sacerdotes, ad celebrandum iam ornatos, moxque ut exuti accurrissent remittebat, vna quam poscebat celeritate Obedientiæ contentus. Quosdam alluctos in liberiores moras interpretari mandata iubentium, euocabat identidem repente, etiam dum consentientibus aures darent, quodque ex iis vnus tantisper adesse distulisset, parum abfuit quin acciperetur seuerius. Sacerdoti ardentius urgente, peregrinationem quam sic efflictim deperibat negavit, & flagellationes aliquot indixit, haud quidem petitionem culpæ damnans, sed eius affectum quam Obedientiæ maiorem: huic illa responderet fat quoque insolita, quam Emerio de Bonis vixdum pœne tironi imposuit mûlcta. Degebat è regione nostri templi mulier famæ haud satis honestæ, cui quotidianum erat domus purgamenta ad templi fores proicere, indignitatem rei aliquamdiu passus Ignatius, demum Emerio iniunxit ( qui ut principio nonnulli, adhuc indifferens ad domestica, & literaria, æditui munere fugebatur ) iniunxit, inquam, vicinam rogaret, aptiore loco sordes deponere. Verum Emerius singulari modestia iuuenis, verecundatus cum ea loqui; quod iussus fuerat, per alium id significavit: quod vbi rescivit Ignatius, pudoris gratiam probavit, obedientiam etsi leuissimè præstrictam vitus est Emerium voluit sex menses cum tintinnabulo ad collum triclinio adesse, & quotidie has voces altè repetere *volo & nolo non habitant in hac domo.* Iam si quis sibi ad genua veniam petens aut pœnitentiam, mox